



**Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. II. Resolutio difficultatis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](#)

## DE OBJECTIO VOLUNTATIS DEI.

statutis possibles, concedo; existentes, vel futuras, nego. Licet enim scientia rerum possibiliū in Deo, que simplicis intelligentiae nuncupatur, sit naturalis & necessaria, utpote antecedens omnem decretum divina voluntatis; scientia tamen futurorum & existentium, cùm sit innixa decreto, ac in eo fundata, est libera, ut in Tractatu de scientia Dei ostendimus.

Dices, ex hoc sequi, quod saltem Deus amet necessaria creaturas possibles, sicut illas necessariis cognoscit: quod tamen non muniter non admissum Thomistae, ut constabat ex dicendis articulo legenti.

Sed negar sequela, quia creature possibles habent reūtem, & cognoscibilitatem necessariam, ratione cuius possunt terminare scientiam Deinaturalē & necessariam, nulla tamen est in eius bonitas, taliter formalis, per quam aetū dīvini amoris terminare possint, ut patebit ex dicendis articulo sequenti.

### ARTICULUS IV.

An Deus amet Creaturas possibles?

#### §. I.

##### Premittenda.

Suppono primum, quod status puræ possibilis nihil est aliud quam non repugnantia rei ad essendum, sive indifferenta ad existendum vel non existendum, cum negatione existentiae pro qualcumque tempore differentia. In qua descriptione exprimitur ad statū puræ possibilis aliquis rei requisita. Primum est, quod illa nullam includat repugnantia ad essendum: quare quid homo sit equus, non cadit sub statū possibilis, quia implicat, seu repugnat talis conexio hominiscum equo; secundus tamē alius mundus, qui repugnanteā non involvit ut esse possit. Secundo dicitur, cum negatione existentiae, ut res mere possibilis distinguitur a re existente, & posita extra causas. Tertiō additur, pro qua tamē differentia temporis, ad distinguendam remē possibilem a futura, quæ licet actualem existentiam non habeat in propria mensura, illam tamen habebit in aliqua differentia temporis. Ex quo inferes, quod licet res mere possibilis non sit aliquid reale positivè, quia non habet, nec unquam habitura est existentiam; est tamen eius reale objectivè, quatenus potest habere realē existentiam; in quo differt ab ente rationis quod est incapax realis existentiae, & solum habet esse objectivum in intellectu singente, & illud cognoscente ad modum entis reales.

Suppono secundum, quod de creaturis possibilibus possumus loqui duplicitate: vel secundum quod sunt in Deo, & virtualiter in omnipotencia divina continentur, & secundum hanc rationem, dicit Augustinus quod sunt ipsa creatrix essentia: vel secundum esse possibile proprium, & distinctum ab omnipotencia Dei, quatenus sci-licet considerantur secundum sua praedicata quidditativa, quæ licet nihil actū sint, quantum ad existentiam, sunt tamen aliquid reale objectivē, ut antea dicebamus. In praesenti ergo non loquimur de creaturis possibilibus primo modo: ut sic enim certū est apud omnes, eodem amore

Amaria Deo quo ipse se ipsum diligit; si quidem prout sic considerat, fuit ipsem et Deus, sed loquimur de illis secundo modo consideratis, & querimus, an in illo esse objectivo in quo cogno-suntur ab intellectu divino, amentur etiam à divina voluntate? Quod ut magis explicetur, & status difficultatis magis aperiatur.

Suppono tertium tanquam certum apud omnes, Deum possibilia non amare amore efficaci, seu effectivo: id enim Deus diligit amore predicto, cui communicat aliquid bonum. At prout possibilibus nullam bonitatem communicat, cum decreverit illa nunquam extra causas ponere: Ergo illa non diligit amore efficaci, seu effectivo. Solum ergo difficultas est, an ad creaturas possibles terminetur voluntas divina per amorem simplicis complacentiae.

Partem affirmativam tenent Scotus, Fonseca, Vazquez, Arrabal, Heric, Ruiz, aliquique Recentiores; quibus ex Thomistis adharet Marcus à Serra in Commentario art. 2. qu. sequentis. Negantem verò communiter defendant alii Discipuli D. Thomae, quibus subscrabit Suarez in Metaph. disput. 30. sect. 6.

#### §. II.

##### Resolutio difficultatis.

**D**ico igitur: Creaturae possibles nullo modo amantur a Deo.

Hanc conclusionem probant aliqui, primò quia amor Dei erga creaturas non est affectivus, sed effectivus, & infundens bonitatem in rebus, ut docet D. Thomas qu. sequenti art. 2. Unde cum circa possibilis, in quantum hujusmodi, Deus nihil efficiat, & nullam eis perfectionem aut bonitatem infundat, inde colligunt Deum non amare creature possibles. Secundò probant, ex eo quod amare est velle bonum: Sed Deus nullum bonum vult creaturis possibilibus, cum decreverit nunquam illas ponere extra causas, in quo includitur carensia omnis boni: Ergo illas non diligit. Tertiō probant, quia objectum amoris est bonum: creature autem possibles carent omni bonitate, quia nec existunt, nec dicunt ordinem ad existentiam, ut in aliqua differentia temporis habendam: Ergo non diliguntur a Deo.

Verum tres illae rationes quibus illi Recentiores præcipue innituntur, non videntur efficaces, nec solidæ; quia duas primas solum probant Deum non diligere res possibilis amore efficaci, seu effectivo, quod concedunt Adversarii; non tamen ostendunt, voluntatem divinam per amorem simplicis complacentiae ad eas non terminari; de quo solum procedit præsens difficultas & controversia, ut in tertia suppositione annotavimus.

E Tertia vero supponit falsum, vel saltem aliquid dubium & incertum, quod scilicet res mere possibilis, in statu mere possibilis considerata, omni bonitate careant: quoniam enim certum sit, illas non esse bona simpliciter, quia nec existunt, nec dicunt ordinem ad existentiam; probabile tamen est, & doctrina D. Thomae conforme, eas esse bona secundum quid, quatenus sunt perfecta perfectione essentiali, & nihil illis deest ex prædicatis sibi essentialibus, ut constabit ex dicendis §. sequenti. His ergo rationibus prætermisssis.

Probatur primò conclusio: Si Deus creature possibilis diligenter, non libere, sed necessariō eas

amaret: At in divina voluntate non est ponendus A amor creaturarum necessarius: Ergo Deus non diligit creaturas possibles. Major constabat ex infra dicendis, Minor vero probatur. Primo quia D. Thomas ubicumque de amore creaturarum sermonem instituit, illum liberum esse fateretur, nec alicubi amorem necessarium agnoscit in Deo, prater illum quo se ipsum diligit. Unde hic art. 2. universaliter ait, alia à se Deum non necessariò sed liberè velle. Idem docet 1. contra Gentes, a cap. 81. usque ad 83. Quæst. 23. de verit. art. 4. & de potent. qu. 3. art. 1. & alibi passim.

Secundò probatur eadem Minor: Quilibet potest fatur necessariò quod specificationem, solum ad rationem formalem sui objecti, non autem ad objecta materialia, & secundaria; ut patet in visu, qui solum necessitatur ad attingendum lucidum aut coloratum, non autem ad vindendum arborem vel pariem: Atqui res creatae, vel creabiles, non pertinent ad rationem formalem & specificativam divinæ voluntatis, sed sunt ejus objecta materialia & secundaria: Ergo non necessario sed liberè diliguntur à Deo.

Tertio, Si in voluntate divina esset aliquis amor creaturarum necessarius, Spiritus Sanctus ex illo procederet, cum ex amore Dei naturali & necessario procedat: Sed hoc non potest dici, ut ostendunt Theologi in materia de Trinitate: Ex ergo nec illud.

Dices, D. Thomas 1. p. qu. 37. art. 2. ad 3; ait, *Sicut pater dicit se & omnen creataram Verbo quod genuit, ita diligit se & omnem creaturam Spiritu Sancto*: Ergo ex D. Thoma, sicut Verbum producit ex cognitione rerum possibilium, ita & Spiritus Sanctus ex illarum amore procedit.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: nam D. Thomas verbis relativis non intendit aequiparare processionem Spiritus Sancti, processioni Verbi, in hoc quod Spiritus Sanctus procedat ex amore creaturarum possibiliū, sicut Verbum ex illarum cognitione, sed tantum quantum ad hoc, quod sicut Pater dicit se & omne creaturam. Verbo sufficienter representante omnem creaturam, ita se & omnem creaturam diligit Spiritus Sancto impellente in amorem creaturarum, quia Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primæ & increatae, quæ est Deoratio diligendi se & creaturas, non quidem possibles, quia incapaces sunt, sed existentes & futuras.

Si instes, & opponas, D. Thomam assertere Patrem & Filium diligere omnes creaturas Spiritu Sancto, sicuti Pater dicit omnes creaturas Verbo: At Verbum non solum creaturas existentes, vel futuras, sed etiam possibles representat: Ergo etiam Spiritus Sanctus, non solum ad creaturas existentes, vel futuras, sed etiam ad possibles, per modum impulsus inclinat.

Respondeo explicando & distinguendo Majorem: Omnes creaturas capaces terminandi amorem, concedo Majorem: incapaces terminandi illum, quales sunt creaturae possibles, nego Majorem, & concessa Minor, nego Consequentiam. Itaque sicut Pater intelligit omne intelligibile Verbo, ita diligit omne diligibilem Spiritu Sancto: creaturae autem possibles sunt intelligibles, non tamen amabiles; & idcirco Pater illas intelligit Verbo, non tamen illas diligit Spiritu Sancto.

Probatur secundò conclusio ratione à priori: Objectum voluntatis est quidditas rei ut exercit existens, vel saltem ut dicens ordinem ad existentiam: Ergo quidditates pure possibiles, nullum actum voluntatis possunt terminare, nec consequenter à Deo amari. Consequentia est evidens, Antecedens probatur multipliciter. Primo ex D. Thoma 1. p. quæst. 82. art. 3. in corp. ubi ait: *Objectum intellectus est simplicius & magis solutum, quam objectum voluntatis: id est, ut interpretatur Cajetanus, objectum intellectus est quidditas rei sub conceptu quidditatis voluntatis vero objectum est res prout existens.*

Secundò probatur idem Antecedens ratione B D. Thomæ. Quod aliqua potentia nobilior est & immaterialior, ed recipit objectum abstractum. Ergo cum intellectus nobilior sit & immaterialior voluntate, abstractius & nobilis objectum debet respicere: At hæc major abstractio intellectus substiteret nequit, nisi abstracta ab existentia, illamque concernat objectum voluntatis: Ergo &c.

Tertio probatur ex diverso modo tendenti intellectus & voluntatis: Voluntas enim furturæ res prout sunt in seipsis, intellectus vero in seipso res contemplatur: Ergo etsi intellectus res pure possibiles cognoscere posset, quia illas simili se meditatur, voluntas tamen casamare non potest: quia debet ferri ad objectum ut in seipso, creature autem possibiles in seipsis non sunt.

Denique idem Antecedens suadetur: Ut enim ait Cajetanus, manifestè experimur, nihil nos impedit quod non existat sanitas v. g. utilitatem intelligitur: in voluntate tamen non ita sit, nullus enim sanitatem desiderat, ut illa præcisè possibilis est, sed ut in re sit, nec in sanitate ut possibilis quispiam delectatur, sed in illa ut existente, vel in se, vel in proxima spe: Ergo signum manitulum est, objectum intellectus est quidditatem per modum quidditatis; voluntatis vero, rem ut existentem exercit, vel dicentem ordinem ad existentiam: quod adeò verum est, inquit idem Author, ut etsi intellectus existentiam attingat, sicut voluntas quidditatem aliquam; cum hoc tamen discrimine, quod intellectus existentiam exercitat per modum quidditatis agnoscat, voluntas vero quidditatem ipsam, non nisi ut existentem, vel dicentem ordinem ad existentiam, attingit.

### s. III.

#### Solutio argumentorum.

**O**bijecis primò: D. Thomas 1. cont. Gen. cap. 84. in fine ait, *Deus non vult nisi ea que sunt vel possunt esse bona*: Sed res possibles, quamvis non sint, possunt tamen esse bona: Ergo secundùm D. Thomam res possibles amantur à Deo.

Respondeo quod D. Thomas in illo capite solum intendit probare, Deum non amare impossibilia, & ea quæ esse repugnat. Unde quando in fine illius capituli dicit quod Deus amat ea quæ possunt esse bona, non loquitur de possibili, ut excludit futuritionem, & ordinem ad existentiam, sed solum prout opponitur repugnantis & impossibili. Quod ut sit evidenter, Advertendum est possibile posse sumi duobus modis. Primo strictè & propriè, & prout significat illud quod continetur sole in potentia cause omnino indifferentis & indeterminatae ad ejus productio-

nem,